

1851.

1312 d. 23 Maj.

Prosten öfver Öland, Kaniken THORSTEN, testamenterar 10 mark lödigt silfver till Linköpings domkyrka och sina gods i Frankrike till understöd för fattiga studerande i Paris, helst från Öland och af hans slägt, jemte några böcker till deras begagnande, m. m.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl. *).

In nomine domini Amen. Anno incarnationis eiusdem .M^o. CCC^o. XII^o. feria III:a. post dominicam trinitatis, Ego THORSTANUS de ølandia canonicus lincopensis sanus mente licet debilis corpore volens horam mortis omnibus incertam aliquo opere misericordie pro meo modulo preuenire, testamentum meum de bonis a deo mihi concessis condo et ordino in hunc modum. Primo ecclesie lincopensi in qua eligo sepulturam lego decem marchas puri argenti necnon et omnia bona mea mobilia et immobilia in regno francie sita deputo eidem ecclesie iure perpetuo possidenda, pro vsibus tamen pauperum scolarium de ølandia et precipue eorum qui de linea mea sunt. siqui ibidem digni et ad studium apti inueniantur. si autem ibi tales non inueniantur, volo quod de aliis partibus lincopensis dyocesis ydonei eligantur. Ad vsus eciam eorundem scolarium parisiis studencium deputo et assigno libros infra scriptos videlicet casus bernardi. Hugicionem. Innocencium bibliam. hystorias scolasticas. et quasdam decretales quas habet dominus vlpho de malbech. Preterea cum scriptura dicat. qui agit contra conscienciam edificat ad gehennam remorsum consciencie habeo timens me graue anime mee incurrisse periculum, ex eo quod bona in castæløso de quibus dilectus patruus meus dominus holmstanus prepositus ølandie felicis memorie, prebendam quam prius habui fundauit, in prebende ipsius preiudicium ut timeo ad tempus retinueram. Vnde in hoc anime mee et dicti patroi mei cupiens precauere, volo firmiter ut dicta bona ad prebendam eandem iure perpetuo pertineant possidenda, prout in litteris sepe dicti domini Holmstani super fundacione illius prebende confectis plenius continetur. racione uero illorum que de bonis illius prebende medio tempore leuaueram, ad augmentacionem ipsius meas confero decretales. Inhibens nequis heredum meorum in preiudicium anime ipsius fundatoris et mee prebendam eandem seu canonicum qui eam pro tempore tenuerit super alienacione dictorum bonorum quo modo impediatur vel molestetur. Ceterum in remissionem anime mee confero cuilibet claustro in osgocia duas marchas denariorum. Cuilibet hospitali vnam marcham denar. Ecclesie scrucuby duas marchas. sacerdoti ibidem vnam marcham. Ecclesie vteby vnam marcham. Ecclesie castelløso marcham argenti sacerdoti ibidem

*) Fins äfven i en af Hertig Erik utfärdad vidimation af d. 20 Juli d. å.

marcham denar. Fratribus kalmarnie .II. marchas denar. Sororibus ibidem .II. marchas denar. Hospitali nørrobyghd vnam marcham. Insuper cum iustum sit, nullum mercede laboris defraudare, confero domino petro hult sacerdoti meo equum quem pro tempore habuerat et tabardum meum forratum cum capucio et meam sellam cum freno. Olauo famulo meo do equum quem habui de hastano(!) birgeri filio. nepoti meo ragwaldo lectisternia mea et vnum equum. Diærwoni equum quem habuerat. benedicto vnum equum. Erico .I. equum. Johanni villico meo in castelløso. IIII marchas gutenses. Domino holmstano de mykloby vnam marcham argenti. Domino Nicholao de smydaby vnam marcham argenti. Executores uero huius testamenti mei constituo discretos uiros dominum petrum liquidson et glysingum decanum lincopensem et philippum canonicum ibidem, supplicans eis humiliter ut diuine retribucionis intuitu ista fideliter prosequantur. In cuius euidentiam plenioram, sigillo reuerendi uiri domini kanuti ioon son illustris regis sweorum dapiferi, necnon et capituli ecclesie lincopensis et sigillis exequutorum huius testamenti mei supra scriptorum, vna cum proprio presentes litteras peto humiliter communi. Datum Anno et die supradictis.

På frånsidan. Testamentum domini Thorstani quondam prepositi Ølandensis, qui pro sustentacione pauperum scolarium parisiis studencium legauit bona sua omnia in regho francie acquisita. que tandem per dominum philippum fuerunt distracta. et pro eis bona in Rewom prope thyrnewalla. reddita.

Sigillen bortfallna, utom ett fragment af N:o 5.

1852.

1312 d. 29 Maj.

JOHANNES BJÖRNSSON bortbyter Hässnäss, med intyg af Byrnä socknemän, till Lars Ulfsson mot 4 örtugland i Alby.

Saml. Afskr. i Riks-Arch. Sign. J. 6. fol. 330.

Omnibus Christi fidelibus presens scriptum cernentibus, JOHANNES BJÖRNSSON, salutem in Domino sempiternam. Noveritis vniuersi me fecisse quoddam cambium cum nobili viro ac discreto, Laurentio Vlfsson, modo tali, quod ego Johannes, a me et meis heredibus alienaueram, et dicto Laurentio assignaueram vnum Hässnäss vsque in Hässwijk, ad riululum fluentem ibidem saluo et perpetuo iure sibi et suis heredibus possidendum cum testimonio hominum fide dignorum in parochia Byrnä habitancium, pro quo mihi et meis heredibus perpetuo assignauerat quatuor solidos terre, cum omnibus adiacentibus, in villa que dicitur, Alby sitos. In cuius rei euidentiam firmiorem sigillum meum presentibus est appensum. Datum Anno Domini M. CCC duodecimo quarto. Cal. Junij.

Teckningen anvisar, att sigillet varit borta.